

rum regis et reginæ Hispaniarum oratore, tractatum, capitulatum et conclusum est prout sequitur :

In primis, prædicti domini reges serenissimi omnem rancorem et odia inter se deponant, extirpent et prorsus aboleant, nec non pro se et successoribus, vassallis, subditis, regnis, patriis, terris et universis dominiis suis bonam, meram et puram atque sinceram pacem, amicitiam, benevolentiam, intelligentiam, ligam, unionem et confederationem inviolabilem et perpetuam atque omni ævo duraturam, faciant, firment et contrahant, contra quoscumque hostes suos præsentis et futuros, ad conservationem et defensionem regnorum, statuum et dominiorum suorum, quæque in præsentiarum habeant et possideant ac in posterum possidebunt et tenebunt, exceptis tamen confederatis utriusque regis ; similiter etiam promittant et polliceantur eandem amicitiam atque confederationem etc. inter se ipsos ac serenissimos regem et reginam Hispaniarum et archiducem Philippum Austriae et successores suos renovare, facere et firmare velle ; adeo probantes hii se invicem fraterne et bona fide absque ulla fraude et dolo prosequantur.

Item, quod ambo supra nominati reges innovent, ratificent, approbent et confirment matrimonium conclusum inter serenissimos principes, dominum Carolum, filium illustrissimi archiducis Philippi, et dominam Claudiam, filiam serenissimorum regis et reginæ Franciæ.

Et, ut universis maior pateat huius fraternæ pacis, intelligentiæ et confederationis effectus, hii serenissimi reges de novo conveniant et approbent, quod delphinus Franciæ præsens aut futurus, sive sit filius serenissimi francorum regis, si quem habiturus esset, aut alius quicumque, qui pro tempore fuerit, realiter et effectualiter unam de filiabus prædicti illustrissimi archiducis Austriae in uxorem ducat ad optatum ipsius delphini, et ut illud fiat, per prædictos serenissimos reges et eorum successores atque hæredes efficiatur.

70 Quod serenissimus atque christianissimus francorum rex promittat, quod velit, ex nunc et in antea, personam et honorem atque condiciones serenissimorum romanorum regis et futuri imperatoris nec non illustrissimi filii ejus archiducis Philippi, tanquam fratris et filii carissimorum suorum, in omnibus rebus fovere, diligere, amare, prosequi, defendere, honorare et complecti, et præsertim patrias cæsareæ majestatis tempore absentiae et expeditionis suæ proxime contra turcas, sic etiam ipsum romanorum regem et ejus romanum imperium juvare,

augumentare, et in illis quibuscumque modis favere, ut in eorum pristinas et antiquas condiciones et honores reponantur.

Item, quod christianissimus francorum rex, secundum suam totam potentiam, juvet serenissimum romanorum regem, futurum imperatorem, contra perfidissimos turcas, christianæ religionis rabidos hostes, si et in quantum reliqui christiani reges et principes aut major eorum pars suam cæsaream majestatem adjuverint, et hoc tribus proximis annis facere teneantur.

Quod christianissimus rex francorum polliceatur et promittat, pro se et successoribus suis, quod omni sua diligentia, cura ac solitudine favebit et secundum omnem suam possibilitatem juvabit, quod serenissimus romanorum rex, futurus imperator, seu hæredes sui, post mortem moderni regis Hungariæ, ambo regna Hungariæ et Boemiæ ac illorum provincias, secundum quod honestas postulabit et suæ cæsareæ majestati jus competerit, et illustrissimus dominus archidux et hæredes sui, post mortem serenissimorum Hispaniæ regis et reginæ, tanquam gener eorum, omnia regna, patrias, terras et universa dominia illorum, quæ nunc habent et juste ad illos spectare, consequantur, possideant atque illis fruantur.

Quod christianissimus francorum rex omni ope, consilio et auxilio juvet et foveat prædicto serenissimo Romanorum regi, futuro imperatori, pro itinere illius romam versus et coronatione ejus ibi consequenda, eo modo sicuti sua cæsareæ majestas eundem francorum regem requisiverit et ipse honeste facere poterit.

Quod christianissimus francorum rex promittat et polliceatur, quod nequaquam ullo aut quocumque modo se circa subditos aut de rebus imperii romani absque scitu et voluntate romanorum regis intrittere velit ; poterunt tamen nihilominus ambo reges subditos utriusque regni ad omnia alia servitia in servitores accipere ; quod octoginta mille coronas pro sigillo tractetur de illo latius per oratores serenissimi romanorum regis ac illustrissimi domini archiducis Philippi secundum incepta et acordata.

Quantum ad tractatus veteres et fœdera inter suam cæsaream majestatem tanquam archiducem Austriae et ducem Burgundiæ et prædictum christianissimum regem et prædecessorem ejus prius inita et conclusa atque percussa, hæc omnia maneat in esse et vigore, secundum prolocuta inter christianissimum regem Franciæ et oratores illustrissimi archiducis.